



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Et ero immaculatus cum eo. Et obseruabo me ab iniquitate mea.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37005**



Sugillat impios, de quibus psal. ix. Auferuntur iudicia tua, a facie eius. Tale fuit & æmula eius synagoga, quæ omnium maxime uideri uoluit, iudicia se ante oculos habere, nõ repellere iusticias eius a se, quæ in Ecclesia habita minis ream faciebat semper. Quæ concertatio manet, donec caro & sanguis manet, cuius prudentia, dum iustitiam spiritus non capit, & suam argui nõ patitur, Contra prudentia spiritus, iustitiam carnis laudari non patitur, & iustitiam fidei prædicat, fit, ut perpetuo bello conerantur hi duo paruuli Esaiæ & Isabæ in utero Rebeccæ.

Beatus ergo uir, qui meditatur in lege domini, die ac nocte, hic enim nec conspectum suum habet, omnia iudicia dei, nec repellit a se iusticias eius (Hebr. iustificationes eius) hic est, qui custodit uias domini, quæ in iudicijs & iusticijs eius præcipiuntur. Haberi autem in conspectu iudicia dei, indicat et distingi: Vbi enim est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit. Matthæi, vi. Opus autem habemus assidue, legem dei ante oculos nostros uersare, quia multus turbamur & distrahimur rebus & casibus, Hoc tamen sua sponte faciet, uolens in lege domini, quæ nisi assit, cito proiciemus retrorsum sermones domini, ad quod mox sequitur, neglectus uiarum domini, & impietas in deum &c.

*iudicia & in  
iustificationes.*

Iudicia & iustificationes, hoc loco, sic differre credo, ut iudicia ad probationes pertineant, quibus iudicatur uetus homo, & iustificationes ad præcepta, quibus iustificatur spiritus, nouus homo.

Et ero immaculatus cum eo.

Et obseruabo me ab iniquitate mea.

Hic plane confitetur, reliquum ueteris hominis, contra quod se pugnatum promittit, sicut Apostolus Gal. v. & Ro. viij. & alijs locis docet mortificare carnem & membra, quæ sunt super terram. Itaq; custoditis omnibus uis dominici & euitata impietate, semper manet negotium crucifigendæ concupiscentiæ in nobis, quo emaculemur & renouemur de die in diem coram deo, & obseruemus nos ipsos ab iniquitate nostra, ne nos superet, peccatum enim non nobis dominabitur, quia sumus sub gratia, nec concupiscentijs carnis obediemus, ut regnet peccatum in mortali nostro corpore, licet non cesset sollicitas re, ut regnet & dominetur.

*Crucifigenda  
semper caro.*

Hanc renouationem assiduam & obseruantiam peccati, impij contemnunt, mundi enim sibi uidentur, quia iudicia & iustitias dei non habent in conspectu suo, nec intelligunt quæ grandem & absolutam munditiam exigant. Emphasin etiam ob eandem causam addit, cum eo, id est coram eo. Nam impij, qui has maculas contemnunt, immundi fiunt, de die in diem coram domino, hoc ipso quod mundissimi coram seipsis & hominibus sunt. Dictionem, *in* On, quæ hoc loco, iniquitatem reddidit, nondum habuimus, nescio qua ratione dicitur, nam ab alijs nominibus iniquitatem significantibus, Libenter ego, opera carnis eo significari admitterem, ut ad originale peccatum referat, ut sit, On, malum quod effrenis concupiscentia perpetrat, hoc est, quando peccatum regnat & dominatur, in opus prouens. Cætera enim uocabula, magis legem prohibentem, quæ originem mali furentem respicere uidentur, sic psal. l. Ecce in iniquitatibus conceptus sum &c. Quæ si uera essent, ualde nostro proposito comoda forent, ubi Ecclesia se custodire proponit, ne peccatum reliquum in carne, prodeat in opus.

*Et retris*